

✠  
JHS.

12  
18744

INNOCENTIA  
ASSERTA,  
ET VERITAS VINDICATA  
IN LAudem ET OBSEQUIUM S. ECCLESIAE PATRIS,  
MELLIFLUIQUE DOCTORIS,  
INNOCENTISSIMI  
BERNARDI ABBATIS.

AUTHORE

R. P. HYACINTHO BERNARDO HYEBA  
Soc. J. in Regali Salmanticensi Collegio Theologiae  
Professore, & Sacrae Scripturae  
Interprete.

num. 18. cap. 7. num. 12.

SALMANTICAE

TYPIS ANTONII VILLARGORDO ANNO  
Superiorum permissu.



# INNOCENTIA ASSERTA, & Veritas vindicata.

## Prævia rei notitia.

N. 1. **S**UB finem Aprilis proximè elapsi trium Dissertationum Opusculum vulgavit sapientissimus venerandi Prædicatorum Ordinis Magister, & sacrae Theologiae Doctor, *Rmus. P. Fr. Josephus Barrio*, Primariæ Cathedræ Salamanticensis jam ab olim Moderator emeritus. Opusculi scopus, in ejus fronte præfixus, est Imaginis adolescentiæ S. Bernardi, à V. Guillelmo affabrè depictæ, speciosum & nitidum repurgium, depullis accuratè nævis, quibus R. P. Pinius, & fædioribus, quibus *suppositivus Theologiae Doctor* illam temerè deturparunt. Hinc tota Scriptionis occasio: ex duplici nimium annotatione Pini, à tribus Monachis Cisterciensibus, jam quindecim ab hinc annis, acriter impugnatâ, & paulo post strenuè vindicatâ à Renato quodam Balduino, Theologo Leodiensi. Crediderim tamen occasionem non datam, sed acceptam. Quî enim fieri potuit, ut sapientissimo Magistro, pietatis zelo flagranti, offensionem aliquam creassent annotationes illæ, quas ipsemet testatur *bona fide* appositas, ne offendiculum esset lectoribus narratio quædam V. Guillelmi? Num ex remotione *offendiculi* debet severioris doctrinæ Theologus offendi? Quantum ergo fuerit hæc in re occasio illicium, non ex annotationibus ipsis, sed ex præparatione animi pensandum: nam quæ plurimis à partium studio remotis occasio remotissima, & longè dilata persistit, eademmet aliis, vel ex animi affectu, vel ex præoccupatione Judicii in partem alterutram propensis, statim adlita & proxima occasio fit, sub quâ spontè dilabuntur.

Diff. in  
præf. n.  
1. & 2.

2. Infederat proculdubio animo tanti viti divulgatum illud *Cisterciensis Monachi Judicium*, quo primùm fuit utraque annotatio Pini in crimen evocata. Manserat *Judicium* illud *altâ-mente repostum*: indeque abreptus præoccupatione judicii (identidem in Piniuum, & Leodiensem ab ipso replicata) in idem serè Cisterciensis Monachi recidit systema, aliquâ tamen